

perget ad ministros agrotantium, ab his quæ neces-
saria sunt accipiet.

XL. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint,
si clerici fuerint aut monachi, majori honore susci-
pientur : lavabuntque pedes eorum, juxta Evangelii
præceptum, et prehebunt eis omnia quæ apta sunt
usui monachorum.

XLI. Si quis ad ostium monasterii venerit,
dicens velle se videre fratrem suum vel propin-
quum, janitor nuntiabit abbatii, et permittente eo
accipiet coitem, cuius fides probata est; et sic
mittetur ad fratrem videndum vel proximum.

XLII. Si propinquus alicujus mortuus fuerit, pro-
sequendi funus non habebit licentiam, nisi Pater
monasterii præceperit.

A XLIII. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortu-
lano acceperit.

XLIV. Nemo alteri loquatur in tenebris; nullus in
psiatho cum altero dormiat; manum alterius nemo
teneat; sed sive steterit, sive ambulaverit, sive se-
derit, uno cubito distet ab altero.

XLV. Si quis tulerit rem non suam, ponetur
super humeros ejus; et sic agat poenitentiam publice
in collecta.

XLVI. Si Præpositus injuste judicaverit, injusti-
tiae ab aliis condemnabitur.

XLVII. Qui consentit peccatis, et defendit alium
delinquentem, maledictus erit apud Deum et homi-
nes, corripetur increpatione severissima.

B

Explicit Regula Orientalis.

SANCTI BASILII

CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ EPISCOPI

REGULA AD MONACHOS.

DE S. BASILIO EJUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

S. Gregorius Nazianz., orat. 20, in S. Basilium.

Quis magis quam ille aut virginitatem coluit, aut carni leges imposuit; idque non suo tantum exemplo,
sed etiam opera alius impensa? Cujus sunt virginum cœnobia, et scripto comprehensa Regularum statuta;
quibus et sensus omnes castigabat, et membra omnia componebat, et veram virginitatem servare ad-
monebat.

Gregorius presb., orat. de S. Greg. Naz.

Hic porro commorantes (*Gregorius et Basilius*) et mutua exstimatione virtutem augebant, et vitæ mon-
asticæ leges piis Deoque devotis hominibus atque a mundi societate disjunctis serabant, Lycurgi legibus
placidores, Solonis graviores, Minois aquiores. Imo vero ut de his viris sublimius aliquid dicam, Moysem
imitantur, nubeque obiecti, atque ut a tumultuaria et turbulentia hac vita procul se removerent, in mon-
tem secedentes, legislatoris officio fungebantur.

S. Hieronymus, Script. Eccl., cap. 116.

Basilius Cæsareæ Cappadociæ, quæ prius Mazaca vocabatur, episcopus, egregios contra Eunomium elab-
oravit libros, et de Spiritu sancto volumen, et asceticum, et breves variosque tractatus.

Rufinus, Hist. eccl., lib. II, cap. 9.

Basilius Ponti urbes et rura circumiens, desides gentis illius animos, et parum de spe futura sollicitos
stimulare verbis, et prædicatione succendere, callumque ab his longæ negligentiae corporis abolere, sub-
egitur, abjectis inaniis rerum et secularium curis, suimet notitiam recipere, in unum coire, monasteria
construere, psalmis et hymnis et orationibus docuit vacare; pauperum curam gerere, eisque habitacula
honesta, et quæ ad victimum necessaria sunt præbere, virgines instituere, pudicam cœstanque vitam omnibus
pene desiderabilem facere. Ita brevi permutata est totius provincie facies, ut in arido et squalenti campo
videretur seges secunda ac lœta vinea surrexisse.

*Et mox: Exstant quoque utriusque ingenii monumenta magnifica tractatum, quos ex tempore in Ecclesiis
declamabant: ex quibus non denas ferme singulorum oratiunculas transfundimus in Latinum; Basilii præ-
terea Instituta monachorum: optantes, si poterimus, et Dei favor adjuverit, eorum plura transferre.*

Sozomenus, Hist. Eccl., lib. III, cap. 15.

Apud Armenios, Paphlagones et Ponti incolas Eustachius Ecclesia Sebastice in Armenia antistes primus
vitam monasticam ejusque exercitium accuratum ceperisse dicitur, ita ut librum de Institutis monachorum,
qui Basilii Cappadocis nomine inscribitur, ab hoc conscriptum nonnulli affirment.

Ita et Nicephorus Callist., lib. IX, cap. 16, et lib. XIII, cap. 29.

Photius P. CP. Biblioth. cod. 191.

Legi sancti Basilii episcopi Cæsareæ Cappadociae Ascetica, ut vocant, duobus libris comprehensa. Utile
sane opus si quod aliud cuivis pietatis studioso et æterna bona consecrant; maxime vero his qui in cœnobio
religiosa vita exercitio incumbunt. Continet autem variarum quæstionum ex sp̄cīs litteris, quæ ad mores
componendos faciant, succinctas cum explanatione solutiones.

Idem, cod. 144.

Legi ejusdem sancti Basilii Ascetica, hoc est, monasticæ vite preceptiones; ex quarum prescripto qui
vixerit, regno colesti poterit.

Theodorus Studita, Orat. in sanctum Platonem.

Primum dedit operam ut studiose magni et divini Basilii Constitutiones legeret, ex quibus sui temporis consuetudinem a monastica constitutione alienam esse didicit.

Sanctus Benedictus, Regulæ, cap. 73.

Collationes Patrum, et instituta et Vite eorum; sed et regula sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt nisi bene viventium et obedientium monachorum exempla, et instrumenta virtutum?

Gregorius Turon., Hist. Franc., lib. x, cap. 29.

Aredius ex familia propria tonsuratos instituit monachos, cœnobiumque fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilii et reliquorum abbatum qui monasteriale vitam instituerunt celebrantur Regulæ.

Vita sancti Eugendi abbatis, cap. 14.

Prout memorie, Christo inspirante, suggeritur, abrenuntiantum exordia primitus intimamus. Sic namque quod non omnino illa quæ sanctus ac precipuus Basilius, Cappadociae urbis antistes, vel ea quæ sanctorum Lirinensium Patres, sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus abbas, sive illa quæ recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa presumptione calcemus: sed ea quotidie lectitantes, etc.

Vita sancti Philiberti abbatis.

Legebat studiose Basilii præclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima.

Justinianus quoque imp. epistola ad Menam P. CP. contra Origenem, locum affert sancti Basilii, ἐκ τοῦ παντού αὐτοῦ βεβλῶν, sive ex libro ejus Regularum: quo etiam frequentissime utuntur sanctus Benedictus Anianensis et Smaragdus, vetusti Regulæ Benedictinæ expositores.

OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUENTEM.

Testimonia sanctorum Patrum allata, atque varia edita eruditissima scripta satis denotant doctrinam et pietatem sancti Basilii Magni, jam dudum fastis sanctorum ascripti, et inter primos utriusque Ecclesiae doctores numerati. Ille enim Cæsariensis archiepiscopus vitam monasticam apprime excoluit, et inter erudita ejus Opera tribus voluminibus contenta, a Juliano Garnerio Benedictino edita Parisiis anno 1722, reperiuntur varia Ascetica in duas partes, quasi Regulas distinctas monasticas, divisa, quæ proin Regule sancti Basilii appellantur, et quæ ex Greco in Latinum transtulit, atque eruditam præfationem premisit Rufinus Presbyter Aquileiensis. Et quidem prima pars appellatur *Regula fusius tractata*, quemadmodum et secunda dicitur *Regula brevius tractata*; quæ tamen Rufinus in unum conjunxit, atque ex illis hanc præsentem Regulam sub nomine sancti Basilii observandam monachis proposuit. Tota autem hæc Regula constat 203 quæstionibus cum earum responsionibus, ex sancta Scriptura desumptis, quibus continentur omnia quæ ad perfectionem Christianam pertinent, vel ad essentialia monachorum munia speciatim spectant. Et i. enim sanctus Basilius non tangat exteriores ceremonias et observationes, ab aliis monasticæ vite legislatoribus præscriptas circa divini officii ordinem, suspicionem hospitum, labore manuum, formam vestimentorum, correctionem culparum potus et cibi, etc.; attamen ad reformatum interiorem hominern salutaria præcepta tradit, maxime attendens ad morum constitutionem et cordis directionem. Hinc sanctissimus monachorum Occidentalium patriarcha Benedictus ad calcem suæ Regulæ inter alias sanctorum Patrum doctrinas summopre laudat hanc Regulam, sanctumque Basilium nominat suum Patrem spiritualem. Atque etiamnum hodie monachi Orientales pro norma vite hanc Regulam amplectuntur, observantes tamen pro externis ritibus et ceremoniis aliarum Regularum diversa statuta; nec sane solum in Oriente, sed etiam in Occidente reperiuntur monachi Basiliiani, præsertim in Polonia, Italia et Hispania. Natus est autem sanctus Basilius anno 329; atque anno 355 seculum reliquit, quamvis Ascetica sua, sive hanc præsentem Regulam, ante annum 355 non conscriperit, anno 379 defunctus.

INCIPIT PRÆFATIO RUFINI

PRESBYTERI AQUILEIENSIS

IN REGULAM S. BASILII AD URSEIUM ABBATEM.

Satis libenter, charissime frater Ursei, adventantes de partibus Orientis, et desiderantes jam fratrum consueta consortia, monasterium tuum ingressi sumus; quod superpositum angusto arenosi tramitis dorso hinc atque hinc passivi et incerti maris unda circumluit: rara tantummodo latentes locos eminus arguit pinus, ex qua et Pineti clarum nomen seculo dedit. Eo tamen maxime delectati sumus, quod non, ut aliquis mos est, vel de locis, vel de opibus Orientis sollicite percontatus es; sed quenam ibi servorum Dei haberetur observatio, quæ animi virtus, quæ instituta servarentur in monasteriis, requisisti. Ad hæc ego ne quid tibi minus digne, non dico quam geritur, sed quam geri debet, exponerem, sancti Basilii Cappadociae episcopi, viri fide et operibus, et omni sanctitate satis clari instituta monachorum; quæ interrogantibus se monachis velut sancti cuiusdam juris responsa statuit, protuli. Cu-

A jus cum definitiones ac sententias mirareris, magnopere poposcisti ut hoc opus in Latinum verterem, pollicens mihi quod per universa Occidua partis monasteria, si hæc sancti et spiritualis viri sancta et spiritualia innotescerent instituta, omnis ille servorum Dei profectus, qui ex hiujuscemodi institutis nasceretur, mihi quoque ex eorum vel meritis, vel orationibus, aliquid gratiæ vel mercedis afferret. Exhibui ergo, ut potui, ministerium meum: imple et tu, et omnes qui legitis et observatis gratiam, ut et agentes et orantes sic, quemadmodum instituta hæc continet, mei quoque memores sitis. Tui sane sit officii etiam aliis monasteriis exemplaria prebere: ut secundum instar Cappadociae, omnia monasteria eisdem, et non diversis vel institutis vel observationibus vivant.

Explicit præfatio Rufini.